

molestiam aut inferri ab aliquo permittendo. In quo et nobis gratum impendis obsequium teque, dum circa hoc tuum promissum verificas, causas et efficis fide dignum.

332.

Fid(elitati) t(ue) com(mittimus) et man(damus), quatinus t(alem) in iurisdictione et iuribus quibuscunque, que progenitores sui ad ipsum in t(ali) villa perduxisse noscuntur, manuteneas et conserves illesum. Non permittens ipsum in iuribus huiusmodi per plebanum loci vel alium quemcunque preiudicialiter molestari.

342b.

Fid(elitati) v(estre) mandamus preci(se) vo(lentes), quatinus t(ali) et eius uxori legitime super hiis, de quibus coram vobis duxerint querelandum, iuxta privilegii ipsis a nobis^a indulti tenorem et formam faciatis tam exacte iusticie complementum, quod dictum t(alem) super defectu iusticie non contingat ad regale tribunal habere recursum.

347.¹

Hactenus te semper pura fide et devocione sincera indefessum^b in obsequiis nostris invenimus et pro nostro^c et sacri honore imperii attollendo in omnes eventus tam prosperos quam adversos accinctum. Ex hac igitur servicii promptitudine de tua fidelitate plena collecta fiducia rogamus, monemus et hortamur omni quo possumus studio et affectu, quatinus cum omnibus quos habere poteris in armis bellicis expeditos sine dilacione morosa ad nos venias et appareas honorifice coram nobis. Est enim ad presens nobis tua neccessaria presencia, cuius causam, dum ad nos veneris, plenius tibi pandemus oraculo vive vocis.

361.

Cum interna caritate qua cunctas religiosas personas prosequimur provocati, honorabilia monasteria t(alia), in quibus a Christi ministris pro regna regentibus et eisdem subiectis iugis oracio funditur apud Deum, vener(abili) epi-

a) 'vobis' T. b) 'indefensum' T. c) 'nra' T.

1) Gedruckt 'Constitutiones' III, 176 n. 191.